

varia delectat. Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur.

Librorum istic inopiam esse, quereris. Non refert, quam multos, sed quam bonos habeas.—Distrahit animum librorum multitudo. — Modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quae ubi varia sunt et diversa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii compara, nec minus adversus caeteras pestes: et quum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio.

Plinius major, libros legens, adnotabat excerpebatque: nihil enim legit, quod non exciperet. Dicere etiam solebat, *nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset.*

3. Tenerae mentes, non modo quae diserta, sed vel magis, quae honesta sunt, discant. Itaque non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris: nam et Graeci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari.

Lacedaemonii libros Archilochi civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum poëtam, aut certe summo proximum, quia domum, sibi invisam, obscenis maledictis laceraverat, carminum exsilio multarunt.

---

Ibid. — Plin. 3. ep. 5. — Quintil. 1. 2. — Valer. M. 6. 3.